



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 156. Papa Senis profectus, Romam venit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1460

met Thomam eis auctorem fuisse, ut summum Pontificem in Principem atque Dominum assumerent, se igitur illius consiliis acquiescentes huc adventasse ajebant, ut Sanctitati suæ obsequium, ac debitæ servitutis homagium præstarent. Hos Pontifex summo animi sui jubilo Ecclesiæ Romanæ nomine suscepit, misitque Præfectum, qui populo jus diceret, & annonam subministraret.

§. CLVI.

Papa Senis Romam venit.

*Platin. in
lib. II.*

*Comment.
Pii II. lib. 5.*

Diuturna satis summi Pontificis absentia Romæ gravibus turbis ansam dedit; quidam enim Tiburtius Filius Massiani, quem Nicolaus V. Papa ob conjurationem cum Stephano Porcario conflam laqueo ad fenestras Capitolii suspendi jusserat, ingentes tumultus suscitavit. Hic magna Romanæ juventutis parte stipatus, ac in Ductorem proclamatus horrenda crimina impune patrabat, necnon occupato etiam Pantheo templo, urbem a Sacerdotum jugo se liberaturum tam proterve jactitabat, ut nec Magistratus illorum violentiæ sese opponere auderent. Pontifex re comperta, confestim Senis abire, ac Romam petere animo constituit, quo etiam pervenit septima Octobris die, ingenti civium lætitia

tia exceptus. Paulo post Tiburtius cum Sæcul. XV.
 præcipuis factionis suæ sociis compre- A.C. 1460.
 hensus, suspendio dignas scelerum suorum
 poenas dedit.

§. CLVII.

*Legatio Principum Orientis ad
 Papam.*

Ipso Pontificatus sui exordio Pius Papa
 ad Christianos Armeniæ, ac Mesopo-
 tamix Reges decrevit Ludovicum Ordini
 FF. Minorum, patria Bononiensem,
 qui hosce Principes adhortaretur, ut
 Christianis interea in Europa Turcas bello
 prementibus, ipsi in Asia eosdem ag-
 grederentur. Vix Pontifex Mantua Ro-
 mam redierat, jam ipse Ludovicus in ur-
 bem reversus est. Comitabantur eum
 Davidis Imperatoris Trapezuntini, Geor-
 gii Persarum Regis, ac utriusque Ar-
 meniæ Principum legati, necnon plurium
 aliorum Orientis Magnatum Oratores,
 qui per Colchidem & Scythiam iter a-
 gressi, Tanarium, ac Danubium traje-
 cerunt, demum vero in Hungariam ac
 Germaniam pervenerunt, ubi Fridericum
 Imperatorem salutantes, postea Venetiis
 summis honoribus excepti sunt. Romanæ
 Urbi appropinquantes, Prælatorum non-
 nullos obviam habuerunt, denique a Pa-
 pa ad alloquium admissi, in Patrum Se-

Uu 2 natu